

douici Imperatoris beneficio, siue pristino Meinhardi Carinthiae ducis cum Austriacis pacto. Vrbes etiam Schaffhausen, Rheinfelden, Neuburg, Brisacum, titulo oneroso eiusdem concessione Imperatoris eidem obuenerunt (b), e matricula imperii exemptae. Colmariam Burgouiamque tum Austriacis accessisse quorundam fide constat. Obiit A. 1339.

De faceto ingenio huius Principis. Praetensio in utramque partem euoluta inter Maultaschiam Tirolensem Carinthiaeque, ut volebat, heredem, & hunc nostrum principem Ottonem. De iure reluendi oppignorata imperii inter differendum, exponam.

§. VIII. Singulis tandem, Alberti I. Caesaris filiis cum posteritate eorundem extinctis praeter omnem mortaliū spem minor natu, eiusdem nominis ALBERTVS II. vnus

rico II. qui anno 1267. illum pacto nominauit, si improlis decederet, successorem. Tabula habetur apud Thom. Ioh. Pessina de Czechorod. in libro, qui inscribitur: *Mars Morauicus Prag. 1677. fol. ed. lib. 3. c. 7.* & Bohusl. Balbinum Miscellan. historic. Regn. Bohemiae vol. 3. p. 15. In huius autem iura Bohemici sanguinis principes putabant se successisse. Veruntamen reposuerat imperator: testamentum illud effectu caruisse, neque etiam fieri potuisse, inscio domino feudi directo, imperatore; imo illegitimum etiam propterea fuisse, quod filias habiles dixisset ad succedendum in feudo Carinthiae. IV. Austriacis ergo tum ducibus Carinthia obuenerit. Illi enim 1) ab imperatore Ludouico IV. Carinthia, ceu feudo imperio aperto, donati & inaugurati sunt Anno 1333. Deinde 2) etiam pacta successoria adlegarunt, quae olim Rudolfus Habsburgicus cum Meinhardo Carinthiae duce iniuisset 3). Praeterea voluntates subditorum Carinthiae fuerant pro Austriacis. At supra dixi, quantum olim momenti ordinibus prouincialibus fuerit in nouo surrogando duce territorii. 4) Quibus omnibus demum accessit, quod Austriacis facta inauguratio Carinthiae, decreto comitiali confirmaretur. 5) Ad extremum etiam iuri suo Bohemi nuntium misere postquam Dux Austriae Otto, Aunam Ioh. Boh. R. filiam in matrimonium petiisset. Quamuis igitur postea Margaretha Maultaschia, dimisso ob impotentiam marito, Morauiae marchione, filio Caesaris Ludouici Bauari, Ludouico Brandenburgico tum Marchioni eo fine nupsisset, ut omnia successionis iura in Boioariae domum transferret isque V. quinto loco in contentione de Carinthia factae veniret societatem: Carinthia tamen Austriacis semel concessa ab iisdem non potuit auelli, apud quos ille principatus perpetuo iure remansit.

(b) Fuerat in hoc numero quoque Tigurum, sed hanc post Caesar cum Brisaco commutauit. Summa aeris, quam soluerat Otto pro his ciuitatibus, erat 20000. aurei.